



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Cantvariensi Archiepiscopo S.R.E. Cardinali & coepiscopis suis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

788 Epistolarum Innocentij III.

ne Episcopi
Tusculani.

quod post noctis tenebras & aduersitatum angustias dies serenus illuxit, & optata cœpir prosperitas arridere. Verè quidem nunc scimus quod eti quatiatur interdum Petri navicula, nunquam tamen submergitur: quoniam invalecentibus fluctibus proceliarum, & jam penè naufragio imminentे, iustorum meritis Christus ad auxilium excitatur, qui paulò ante propter quorundam dormiebat offensas. Inter alia siquidem in quibus de plenitudine gratiæ ac misericordiæ ubertate fecit nobiscum signum in bonum, is qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat illustri Regi Angliæ inspiravit ut sufficienter Ecclesia satisfaciat de damnis & injuriis irrogatis. Formam enim pacis à nobis cum multa deliberatione provisam cum magna devotione recepit, & ad eam executioni mandandam Legatum à latere nostro petit destinari. Vnde nos venerabilem fratrem nostrum Episcopum Tusculanum apostolicæ sedis Legatum, quasi pacis & salutis angelum, delfinamus, virum utique gratum Deo, & acceptum hominibus, quem inter alios fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, pro certo credentes sic eum via regia incessum quod non declinabit ad dexteram vel sinistram; eique, de quo plena fiduciam obtinemus, commisimus vires nostras, ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet quæ secundum Deum evellenda & destruenda, necnon ædificanda viderit & plantanda; plenaria sibi potestate concessa ut absque contradictione cuiuslibet ea quæ pertinent ad legationis officium exequatur. Laudem igitur dicite Domino Deo nostro, qui bona de malis eliciens, fecit cum tentatione proventum; & cum humilitate suscepit prospera, qui cum fortitudine sustinuit adversa; prædictumque Legatum recipiat benigne ac honeste tractetis; quia cum nos recipiamur in ipso, in millo notabimus devotionis affectum quem geritis ad intentem. Ipsius ergo monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga eum exhibere curetis quod non solum eidem, sed etiam nobis esse possit acceptum; scientes quod cum ei plena legationis officium commiserimus, sententias quas rite protulerit in rebelles, ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Datum Laterani 111. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO
S. R. E. Cardinali & coepiscopis suis.

Epif. 81.
De calce 22.
Ei qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, devotas gratiarum referimus actiones quod ipse Johanni Regi Anglia misericorditer inspiravit ut formam pacis à nobis cum multa deliberatione dispositam devotè reciperet, sicut per suas nobis litteras intimavit, humiliter postulans ad eam executioni mandandam idoneum à latere nostro delfinari Legatum. Ut autem in missi persona mittentis cognoscatis affectum, ecce nos mores verbi vestri, mittimus quasi angelum salutis & pacis, virum Deo gratum, & acceptum hominibus, videlicet venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, quem inter fratres nostros merito suæ religionis & honestatis speciali diligimus caritate, pro certo credentes quod ipse via regia sic incedet quod non declinabit ad dexteram vel sinistram. Cum igitur bonum pacis tam regno quam sacerdotio sit maximè necessarium, fraternitatem vestram rogandum duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ad illud efficaciter promovendum exhibeatis vos promptos per omnia & paratos, nihil ingenerentes difficultatis aut moræ propter quod hujusmodi bonum impediri valeat vel differri. Nos enim ad justitiam & libertatem ecclesiasticam conservandā prompto semper & pia animo intendemus; ut qui pugnam exercuere legitimam, palmam consequantur optatam. Vos ergo prædicti Legati monitis & mandatis humiliter intendentes, tales vos erga eum exhibere cureris quod ad vestrum commodum & honorem merito debeat aspirare, scientes quod cum ei plena legationis officium commiserimus, sententias quas rite protulerit in rebelles, ratas haberi præcipimus & inviolabiliter observari. Vos denique fratres Archiepiscopi & Episcopi &c. Datum Laterani 111. Non. Iulij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

COMITIBVS, BARONIBVS,
alijisque magnatibus per Angliam constitutis.

Epif. 81.
Ejusdem argumentum cum lumenoribus.
Qvanto specialius regnum Angliæ ad Romanam Ecclesiam dinoscitur pertinere, tanto ferventius aspiramus ut per nostræ sollicitudinis studium grata prospexitate latetur. Cum igitur ad reconciliacionem Regis ac regni venerabilem fratrem nostrum Tusculanum Episcopum apostoli-